



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Imago Primi Saecvli Societatis Iesv

Bolland, Johannes

Antverpiae, 1640

Oratio Secvnda. Ignatius magnus in minimis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-97844](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-97844)

propter nominis communionem exornare voluisse; ipsamque Societatem, licet immerentem, quia Filij nomine insignitur, & augustissimum IESV nomen toto orbe ad Antipodas vsque circumfert, peculiaribus honoris prerogatiuis cumulare voluisse. Itaque, quod eam Pontifices, Imperatores, Reges, Principes in pretio habeant, hoc magno nomini Ducis sui acceptum refert: cuius amplificandae gloriae dum studet (studebit autem, dum leges ab Ignatio conditas, & Instituti sui scopum intuebitur) nec Pater Filio, nec Filius affectui suo deerit, vt maioribus eam semper gloriae cumulet incrementis.

ORATIO SECUNDA.

Ignatius magnus in minimis.

Magnum Ignatium virtutum illustrium exemplar, argumentum dicendi omnino amplum mihi propositum, si silentio quodam admirationis ac venerationis pleno praeteriero; vehementer ambigo, an minus aliquid sim praestiturus, quam si copiose de illo verba fecero. Materiam hanc sibi vt plurimum sumpserunt Oratorum principes; in hac consumpta est aetatis pæne vnus eloquentia, & tamen infra meritum semper laus omnis sterit: rudis ars visa est, indiferta facundia. A me vero, quem nec ad dicendum satis instruxit natura, nec vsus exercuit, si ad dicendum accessero, quid expectandum est, nisi vt quæ summa in eo sunt, extenuentur dicendo; quæ singularia, communi ratione pronuntiandi reddantur vulgaria; quæ illustria, orationis meæ nebulis inuoluantur? Praefari solent plerique, iam ad dicendum comparati, tenuitatem infantiae suae argumenti magnitudine confirmari, non posse, quantumuis rudes atque infantes, cum ampla sit materia, non esse difertos. Alia ab his ego passus sum: illa me materiae copia, & Parentis nostri gloria mediocritatis admonet meae, ne in summis illis, quæ non satis assequitur styli sublimitas, infantiam meam pro dignitate versari posse confidam. Tandem inopi consilij (silere enim me non patitur eorum auctoritas, quibus nihil fas est negare) hoc mihi mea suggessit desperatio, contra quam fert Oratorum consuetudo, ipso statim orationis exordio nihil me politum ingenio, nihil elaboratum industriâ in medium allaturum, praefari: argumentum fore, non magna, sed minima, studio à ceteris praeteriri solita; ex mensâ aliorum lautissimâ micæ deciduas; post messem aliorum opimam, neglectum pæne spicilegium. Cogitatio, scio, humilis, & ab excelsâ tanti viri virtute aliena: hoc praestabit tamen, vt quam intactam praetereo, excellentiae non derogem; & in praconum illustrium numero, symbolum meum conferam, de minimis minimus Oratorum dicturus. Hæc meditati mecum Diuus ipse ob oculos versari visus est, & in negotio quidem leui, sed per vitam omnem sibi familiari, examine scilicet ^{Ignatium} ^{examine} in se moresque suos instituto rationum exactor suarum: opportunè sanè ^{particu-} ^{lari in se} in rem, vt apparet, meam accuratus in minimis obseruator. Quid ^{inquiri.} enim tam religiosæ menti grauius obreperet? Iam inde, cum ex maioribus illis, quæ in militaris vitæ licentiâ occurrere potuissent, criminibus emer-

*Minima
in spiri-
tualibus
magni fa-
cienda.*

emerisset, per triduum iis Sacerdoti sæpiusque exinde & accuratius de-
claratis, vidit vir altâ quadam mente præditus, cum à grauioribus sibi
cautum esset, tendenti ad summa solere obesse minima; eosque qui aut
sæpè magna magno molimine, ex vanitatis studio ad virtutem, ex licen-
tiâ ad austeram vitæ rationem, posthabitis & honorum titulis & opum
ludibriis, se protiperunt, exinde res minimas facere cœpisse non mini-
mi; & qui maximis se spoliauerant, cum minimis se denudare non pos-
sent, hæsisse in salebris, nec ad eum quem animo designauerant perfe-
ctionis apicem pertigisse. Enimuerò minima, cum minima sint, vt
obseruantur à paucis, ita negliguntur à plurimis, à paucissimis omnino
superantur: & ex agro vastissimas citius arbores, quàm lolium & filii-
ces eradicat. Hoc cum aduerteret vir in iis quæ rationes animi concen-
nunt sagacissimus, & illud etiam videret, se, qui rudentes peccatorum
ictu propè vno abripuerat, errorum quæ supererant licia haud ita facile
multiplicatis etiam ictibus rescissurum; & qui hostem fortissimum,
mundi, inquam, affectum, semel ex animo exterminauerat, non tam fe-
liciter defectus ceteros repressurum; legem sibi dixit examine assiduo, si
quid latere vel minimum vspiciam posset, inuestigare. Itaque inquirere
cœpit in se ipse studiosius in horas singulas, & indagare non turpes ma-
culas, aut camarinam vitiorum mouere; sed culpæ ymbra rimari, im-
perfectionum atomos obseruare; eosque non, sicut æstimari poterant, vt
errata minima, sed vt rerum maximarum impedimenta detestari; expia-
re fletu, pœnisque etiam à se exactis profligare. Quâ in re cum & illud
occurreret, simul oppugnanti omnia, elabi singula; & cum, qui multas
consectatur, raras enumerare victorias; hanc methodum sibi ac metam
fixit, non vniuersim omnes, sed vicibus quamque suis, singulas singu-
lari quasi duello animi passiones oppugnare. hostemque hîc sibi pri-
mum deligebat eum, qui rationibus suis esset infestior. Atque has
nouus miles Ignatius suas enumerabat de seipso victorias, longè quàm
ab hoste obtineri vllò possent, illustriores. Minora forsân hæc magno
Ignatio & eius animis inferiora censebantur, non ab iis modò, qui, cum
maiora vitia declinare nolint, minima ne quidem in vitis numerant;
sed à nonnullis etiam perfectioris vitæ (vt sibi quidem videntur) studio-
sis, qui sanctimoniam rebus quibusdam vulgi opinione maioribus, &
fidem nostram excedentibus metiuntur: tamen apud æquos rerum æsti-
matores locum aliquem opinioni magnæ minimum hoc Ignatij stu-
dium faciet, quibus illa numquam visa sunt minima, per quæ maxima
obtinentur. Ecce enim tibi subito hominem, dum persequitur mini-
ma, maximis etiam inolitisque vitis superiores. Non dicam hîc illum,
ex quo meliora concepit, tanto præteritæ vitæ tædio fuisse affectum, &
earum maximè rerum, quæ cum aliquâ voluptate coniunctæ sunt, vt
fœdæ voluptatum imagines omnes illi confestim ex animo effluxisse
viderentur. singularis hoc prærogatiuæ, non industriæ fuit, post vitam
militari licentiâ traductam, cessasse in homine viribus integro ac vegeto
carnis stimulos, quos nec spinis, in quas se induit Benedictus; nec ni-
uibus, in quibus se nudum volutauit Franciscus; nec frigidissimo stagno,
cui se immerisit Bernardus; nec ætatis ingrauescentis algore, quod in se
deplo-

*Minimo-
rum obser-
uatio signū
magna
virtutis.*

deplorat Nazianzenus; nec trinâ Numinis inuocatione, quam adhibuit Paulus, compescere potuere. Ea potiùs in medium producam, in quibus illius desudauit industria, & mortificationis falce messem sibi fecit; & vt ex vno atque altero de ceteris liceat arbitrari, periculum in iis faciam, in quibus panè nemo se sui impotem diffitetur. Studium illi fuerat ætate primâ (vt in milite vsu venit) ne famæ suæ iure tantillum cederet, in factionum hæere partibus, & pro dignitatis certamine quælibet discrimina vitæ & salutis non recusare: abripiēbat eum audax ac præfidens animus, natura feruens, sanguis ebulliens. Ceterum hunc vindictæ appetitum & naturâ congenitum, & consuetudine roboratum, domare aggressus, arte illâ sibi familiari ita breuissimo tempore perdomuit, vt consuetudinem iam ætate corroboratam abruperit, & naturæ vim intulerit, nec iam igneus amplius sanguinisque præferuidi, sed frigidus lentusque à Medicis fuerit existimatus. Triginta omnino annorum spatio, quibus meliõra sectatus est, adeò non contumeliosè tractatus est ab eo quispiam, vt ne quidem verbo fuerit violatus. Præsidebat à se constitutæ Societati, curis molestis & grauibus; at in omnibus eâ mentis serenitate & æquitate animi, vt nec in aduersis nec prosperis vniquam sui dissimilis appareret. Neque hæc ætatis languori adscribi poterant: vigebar enim etiam tum in sene vegeta virtus; & si quando res ita tulisset, vt ad castigandam culpam vultum indueret feruorem, eâ vi & pondere verborum id exsequeretur, vt non audientium tantum animi, sed parietes testæque non dubio motu nutare & concuti viderentur. Adeò nihil in illo torpebat, nec omnino passiones elanguerant; sed quasi doctæ habenas audire, vt ait Poëta, freno laxatõ imperium capeſcebant ad audendum præclari aliquid, rursusque minimo nutu redeuntes ad officium subsidebant. Hæc animi porro compositio & morum æquabilitas non solum in minoribus istis cernebatur; sed iniurias etiam, contumelias, carceres, insidias, ipsiusque vitæ discrimina non aliter læto animo erectoque complectebatur, quam gratulationes alij honoresque excipere consueuerunt. In vincula nonnumquam maleuolorum calumniis abductus, non modò non reluctatus est, verum etiam liberâ voce professus, non tot in vrbe Salmanticensi esse compedes manicasque ferratas, quin plures ipse pro CHRISTO gestare ambiret. Lutetiæ vacanti litteris pecuniolam in victum magno labore corrogatam surripuerat contubernalis: sed ille adeò non exarsit vindictæ cupiditate, vt cum eum Rotomagi morbo afflictum decumbere inaudisset, è vestigio se in iter dederit, iterque tridui tantâ celeritate confecerit, hominique pessimè de se merito tanto affectu subuenerit, vt à morbo recreatum litteris in Hispaniam datis, familiaribus notisque impensè commendarit. Illud verò quantæ mansuetudinis est, cum tactus inuidiâ non nemo dignitate primarius Ignatio Ordinis à se fundati iam Præsidi remittiari iussit, omnes se Societatis istius homines, quotquot in Hispaniis Perpiniano Hispalim vsque inuenirentur, flammis esse traditurum; reposuisse Ignatium, optare se vicissim, vt eum cum suis omnibus, quos haberet per orbem charos, diuinus amor suis ignibus inflammaret? Quid, quòd illum ipsum, quem in mortem

*Ignatius
feruorem
naturæ
compressit*

*in aduersis
æquo semper
animo.*

*Ignatij
mansuetudo.*

suam iuratum, sicâ instructum, domicilij sui scalas conscendisse nouerat, in conuictum Societatemque immemor iniuriæ aggregauit? Ita profectò ex milite impotente sui dominus euaserat, vt nihil vnquam pristini feruoris in publicum prorumperet; profus vt ad auream ætatem rediisse videretur, cum imperiis humanis non sola fera belluæque indomita, sed passiones animi belluis omnibus ferociores subiacerent.

*Ignatius
honoris
studium
cøpescuit.*

Alterum, in quo hominem, id est cereum in vitia flecti, seipsum quilibet experitur, honor est, & inanis gloria; honor, inquam, suauem malum, eoque periculosius, quòd & vitium & virtus illi mater est: atqui hunc aggressus Ignatius, singulari, vt sic dicam, certamine, tam certis impetiuit ictibus, planeque profligauit; vt vir aliàs in rebus suis taciturnus hoc sibi elabi siuerit, à vitio nullo sibi cautum esse magis, quàm ab inani gloriâ. Vnde sic ille statuerat, haud illubenter se nudum, sordidatum, cornibus indutum, habitu quantumcumque ridiculo, per viros obambulatorum, risui se omnium ac sannis expositurum, si quidem id ad Dei gloriam pertineret. Quantum porro suam oderat, tantum pro diuinâ gloriâ certabat alacrius. Hanc spirabat animo, hanc crebro sermone vsurpabat: adeò vt amatores gloriæ suæ (in quâ re quisque non tam amans quàm amens est) longo post se reliquerit intervallo. Ex quo factum, vt, cum Societati suæ Constitutiones daret, hoc obseruarit vnice, vt legi cuiumque aut statuto versus hic panè intercalaris accederet, Diuina gloria, diuinum seruitium, diuina laus, diuinum obsequium: ita vt, si IESV amator eximius habeatur Paulus, qui amplius quingentes in litteris suis nomen illud sacrosanctum celebrauerit, diuinæ gloriæ procurator insignis haberi debeat Ignatius, qui nusquam non suos ad illius studium prouocauit. Magna me video & singularia,

*Perfectio
in minimorum
obseruatione
consistit.
Nierenbergius de Adoratione l. 2.
cap. 14.*

dum minima & vulgaria sector, in medium protulisse. Ita profectò se res habet, in vitis illis magnis, quorum vitæ sanctitas eximia est, nihil difficilius quàm minima reperias, cum quæ censet esse minima, eiusmodi sunt, vt ex iis maxima quæque coalescant. Rectè nonnemo dixit, non hunc statuarium Polycleto parem existimandum, qui truncum norit spoliare, corticemque in frustra secare; hoc enim negotij nihil est; at qui festucas minutissimas rescindere, & subtilissima lineamenta scalpello ducere nouerit, hic demum perfectus est statuarus. Magnum exhibere fortè nonnulli visus fuisssem Ignatium, si quæ recens à vanitate conuersus cum stupore omnium peregit, in medium protulisssem: hominem ex medio honorum cursu inopinatò se proripuisse, ad Virginis aram arma suspendisse, vestibus pauperi consignatis indurum facco, nudis pedibus ante Marianam statuam nocte totâ stationem habuisse; exinde se Manresano intulisse xenodochio, immiscuisse se mendicabulorum cœtibus mendicabulo similem, multorum annorum ieiuniis corpus extenuasse; ita incurium sui vixisse, vt cæsarie impexâ, capite nudo, ne quidem vngues sibi præcidi, aut barbam attonderi pateretur: admirationis res esset plena, spectare ter quotidie flagellis acriter in se sauientem, & genibus humi positus per septenas horas in oratione defixum. Quid si nunc Manresâ in Italiam, indeque in Palæstinam nobilem hunc mendicum deduxero, in finitris conflictatum incommodis,

dis, magna certè ac singularia imperitis in medium protulisse videbor, sed aquis rerum æstimatoribus nihil veterano dignum Ignatio, qui ætate ac religione prouectior, hæc melioris vitæ rudia quædam ac impolita tirocinia consueuerat appellare. Non est procul dubio, non est imago illa perfecta, quæ magnas umbras & lacunas colorum exhibet: in tenuissimo radio, & subtilium linearum ductu, admirabile specimen artis suæ reliquit Apelles. Eâdem planè ratione tum demum maximus fuit Ignatius, cum in se minima quæque expressit, quæ viri etiam summi à se numquam impetrare potuerunt. Adeò ut, cum de illo minima me recensere profitear, non videar tamen eius honorem atque existimationem reddidisse vulgarem. Alium hæc ego iudicem non requiro, præter ipsum Ignatium: qui cum leges Familiæ suæ conderet, licet eas alij suspicerent, quibus rerum terrenarum contemptus, iniuriarum perperessio, feruens animarum zelus, ac sincerus amor diuini Numinis imperatur; ille tamen ubique minima inculcat, sine quibus summa aut vix, aut nunquam, consequantur. Si mentem in oratione cum Deo coniungi desiderat, statas orationi præscribit horas, situm corporis certum, vnde cogitationum desumas exordium, cui parti insistas: quin & præludia præscribit, & post messem recollectionis (quam vocat) spicilegium. Si continentia normam præscribit, eas etiam voluptates eliminat, quæ sine noxâ delibari possunt: si obedientia normam statuit, imperfecto etiam caractere manum de tabulâ tollendam admo- net, simul ac obedientia vox insonuerit. Denique, ne singula persequar, magna perfectionis illi norma est, quæ in minimarum legum obseruatione cernitur, & eadem non infima laus Ignatij. Hæc enim parallela iure dixeris, legem & Ignatium. In Ignatio perfecta lex viu- it: in lege, quantus fuerit Ignatius, à seipso descriptus est. Vnde mihi rectè atque ordine fecisse visi sunt maiores nostri, qui cum genuinam eius effigiem repræsentare vellent, pro symbolo Regularum codicem illi apposuerunt. Si tamen argutari lubeat, quæram ex pictore, cur hoc potissimum symbolo eum expresserit, in quo singularia sunt omnia. Poteras illi cor sagittis transfigere, aut flammis adurere; numquam non ardebat amore cælesti, qui ex obuij floris aut vermiculi consideratio- ne in admirationem rapiebatur auctoris. Poteras illi in manum trade- re sacrosanctum illud nomen radiis illustre, quod suis gentilitium de- derat in vltimas vsque terrarum oras deportandum: poteras eius pedi- bus serpentem subiicere, cum quo crebra illi fuit in vitâ concertatio: po- teras hæresum exuuias in trophæum appendere; in illarum enim rtri- nam diuinitus est destinatus: poteras eius lateri aut Deiparam adiu- gere comitem, aut CHRISTVM æternam Dei Sapientiam præsidem; trigentes enim coque amplius aut CHRISTVS aut beatissima eius Mater hunc suum clientem amœnissimo suo adspectu recrearunt. De- nique non incitè apposuisses augustissimam diuinitatis vnius Triadem, de quâ ea vidit, eaque litteris consignauit, quæ summa ingenia meritò suspiciant. Illustria sunt hæc in hoc viro summo, & singularem habent commendationem. Si tamen virtutum eius quamdam quasi comple- xionem exprimere velimus; nihil magis appositum fingi poterit, quam

*Ignatius
regulas
minimas
suis incul-
cat.*

*Ignatius
quare cum
libro de-
pingatur.*

vt legum sacrarum codex illi tribuatur. Quid enim hoc legum codice perfectius? quid minimis illius regulis magis admirandum? Sanè eas quæ de exteriori modestiâ præscribunt, multis sibi lacrymis steterit factetur Ignatius. Quid rursus huius vitæ magis perpolitum, quæ etiam in minimis tam admiranda est? Vnum fortasse requiri poterat, vt eius vita cælestibus quibusdam aut supra naturam prodigiis illustraretur. Suâ hac in parte cuique laus est: ab aliis perpetuo silentio damnata dæmonum oracula; ad aliorum preces montes loco cesserunt; aliorum imperio mortui ad vitam reuocati sunt; aliorum cadauera gratissimum odorem exhalarunt. Nescio quo Numinis fato sua hîc Ignatio fors obtigit, vt in iis quæ minimè ad eum pertinent, adeoque in minimis prodigiosus euaderet. Admirabilem olim Petrum reddidit vmbra corporis, quæ inani etiam contactu morbos expellebat: mirabilis Paulus, à cuius corporis contactu, nescio quæ diuina vis ipfis etiam semicinctis adhæsit. Magna profectò dignitas in rebus minimis, si tamen minima dici possunt è quibus tanta dignitas existit. Nihil igitur in te minimum est, Ignati, quando quæ minima videntur, tam vberem gloriæ fegetem ac materiâ subministrant: quando, inquam, quæ minimum tui habere corporis tui pulueres residui (ne plus tui consequeremur exundans inuidit Tiberis, tuis, ni fallor, votis obsecundans) pulueres, inquam, tui infinitis languoribus medentur, infinitis puerperis opirulantur, ne fetus prius luce priuentur, quàm lucem adspiciant. Quid dicam aquam ipsâ pulueris permixtione plurimis salutarem? quid nomen tuum chartæ inaratum dæmonibus terribile existisse? prætermitto Monobregensem imaginem infinitis propemodum prodigiis nobilitatam? Et hæc quidem ex paruis reculis, ac propemodum vix tuis, gloria confurgit, vel hoc ipso celebrior, quò facilius res istæ minimæ seu de vestimento lacerna, vel de corpore puluis, vel de vultu imago adumbrata, vel chartæ nomen illitum, ad vltimas vsque Orientis oras penetrarunt.

*Ignatius
miraculis
clarus, et-
iam in mi-
nimis.*

*Societas
minima
magnum
Ignatij
miraculum.*

Itaie 3.

Opportunè me hæc gloria tua monebat finem dicendi vt facerem, nisi æquè opportunè hoc anno sæculari se mihi obtulisset minima tua Societas, sed laus tua non minima. Quinimò maximum tuum miraculum esse Societatem, & in eâ Dei spiritum residere, complures cum ipso Summo Sacrorum Antistite, iam tum, cum nasceretur, agnoscere. Non minimè quidem illa tua est, quæ secundùm Deum ex te habet, quòd nata est, quòd floret, quòd huc vsque magnâ populorum commendatione propagatur. Locum tamen illi inter minima tua dedit illa singularis animi demissio, quâ minimam inscribi & alieno nomine indigetari voluisti, vt quæ maxima quæque à IESV obtinuit, per Ignatium aut nihil, aut minimum quiddam consecuta videretur. Non minor tamen idcirco tibi laus debetur, cuius præceptis & institutis acceptum refert, quòd & virtute doctrinæque floreat, & ad vltimos vsque terrarum fines vnicâ ætate sit propagata. vt non immeritò illud Prophetæ videar vsurpare posse: *Dicite iusto quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet.* Venient enim tibi fructus vberissimi ex omni prouinciâ ac regione: hinc pœnitentibus excussæ lacrymæ, inde puerorum ab interitu vindicata innocentia; hinc virtutes ad maturitatem

ritatem exultæ, inde ad sincerum Dei cultum adducta barbaries; hinc de prostratis idolis manubiæ, inde de profligatâ hæresi trophæa; hinc veritatis sole discussæ calumniarum nebulæ, inde tormenta inconcussâ virtute superata. Hæc cum præclara sint & singularia, suum præconem semper inuenient: illud ego semper inter singularia eius & magna reponam; nunquam eam tam de magnitudine suâ propagandâ, quàm de minimis quæ nascenti tradideras obseruandis laborasse. Et, nisi me fallit opinio, per hæc minima denique perfectum est, vt minima cum esset, è minimis emerferit; cum scilicet maior esset Religiosæ disciplinæ, quàm sapientiæ cura; maior de errato quouis exterminando, quàm de pomeriis dilatandis sollicitudo; maior legem minimam, quàm prouincias conseruandi posteris iniuncta necessitas. Hæc illa fuere minima, quæ ætatis vnus amplitudinem eduxere. Nunc agite, Patres religiosissimi, & his vestigiis insistite; hoc idem studium vobis sit commendatissimum, & indubiè succedent sæcula sæculis beatiora: fortunam primam maior semper excipiet; nec prius accrescere magnitudo desinet, quàm minimorum cura vobis à magno auctore commendata minuetur.

ORATIO TERTIA.

De S. Francisco Xaueio.

DVm per vniuersum terrarum orbem cogitationem circumfero, & singulas illius partes tam varias, tam distitas inter se, tam amplas atque diffusas animo percurro, tot vbique specto virtutum à Xaueio relicta vestigia, tot laudum insignia, tot prodigiorum monumenta, vt, quantus quantus orbis est, non aliud fuisse videatur, quàm theatrum quoddam virtutum, & rerum ab illo præclarissimè gestarum. Et Europa quidem gloriatur, virum se talem tantumque genuisse, terris primùm, deinde per Ignatium Deo; illius hospitio se iactat Africa; Asia verò diuturnum se illi præbuisse domicilium deprædicat; America tandem ab eiusdem se posteris ac sociis, eius potissimum exemplo excitatis, exultam agnoscit: Oceanus, venti, flumina, rationis expertes animantes, sol, nix, pluuia, resque adedò omnes Xaueij imperium expertæ, tot præconia congerunt, tot laudum amplissimarum ornamenta & titulos accumulant, vt, quamuis vnus ipse satis fuerit iis omnibus promerendis, enumerandis tamen vix vlla sufficere possit oratio. In cælis verò infinita illa multitudo fortunatissimarum animarum, quas in illud beatitatis domicilium transtulit, in vnum conuersa Xauerium, eum patrem, defensorem propugnatoremque vitæ ac fortunarum suarum, salutis post Deum auctorem suæ, victorem debellatoremque dæmonum, superstitionis impiæ euersorem, expulso rem flagitiorum omnium, immortalis præconio, laudibusque profitetur sempiternis. Quorum vocibus vt nostra in terris consentiat oratio, in hunc præclarissimum illius de idolis, de immanissimis ac terribissimis humani generis hostibus, de vitiis, de impietate triumphum paulisper oculos defigam: reliqua omnium virtutum decora, & dignitate ac splendore maxima,